



ILLUSTRISSE AC EXCEL-  
LENTISSE MARCHIO,

**A**D Sublimitatem Virtutis Tuæ Theses suscipe provolutas; qualem-  
cunque enim operam impenderim, ut quid juris pro nunc de ul-  
timis moriturorum Voluntatibus in apertum producerem, tesseram hanc  
satis humilem, obsequentiſque animi votis cumulatiſſimam ſiſtere Tibi  
omnino DEBUI ac VOLUI. Quandoquidem, quantus Jurium ipſe Cul-  
tor exiſtas, abundè ſcio, ſciuntque omnes, qui Te noverunt, gratulanturque  
ceſſam Indolem Tuam Juſtiæ caſtiſſimo ſcedere junctam, ut ſummæ  
Tibi duxeris gloriæ, Te profiteri æqui Adminiſtratore, quod totus  
clamat Palatinatus, pleno jure Tibi devinctus, cunctique Ducatus, Di-  
tionésque SER.<sup>mi</sup> ELECTORIS PALATINI circumſonant. At verò  
dum raræ Comitatis Tuæ Gratiam olim Parentibus meis exhibitam  
perpendo, de præſenti mihi congratulor, futuram gratiam mihi appro-  
mitto. Hæc in cauſa fuere, ut Tibi deberem, atque ſi nihil Tibi debe-  
rem, Diſputationis meæ tenuitatem Magni Nominis Tui ornamento,  
Præſidióque roboratam nihilominus vellem, cujus ſub Auſpiciis præcla-  
triumphorum

ras sibi triumphorum fasces certò polliceatur; cùm & Te MARCHIONEM OPTIMUM verè de Cœlis S.<sup>m</sup> DOMUI SULZBACHNIACÆ datum, Virtutum omnium prærogativa usque ad fastigium Celsitudinis provexerit: si enim EXCELLENTISSIMUM MARCHIONEM D'ITTRE nominaverim tantùm, laudavi satis. ILLUSTRISSE MARCHIO, Tua propemodum divina Virtus, dum Princeps non eras, excoluit Principem Optimum, ELECTOREM POTENTISSIMUM; Tua Discretio intrepida inter nuperrimos temporum sanguinolentorum turbines conservavit Ditiones SER.<sup>mi</sup> PRINCIPIS Tui, earùmque incolas in optata pace; Supremum Tuam Aulæ ac Statuum Ministerium mundo patefacit boni regiminis continua specimina. Quid ergo mirum, quòd mundus te veluti idæam Gubernatoris perfectissimi adoret? quid Tuâ Prudentiâ splendidius, Moderatione polchrius, Justitiâ excellentius, ac sagacissimæ, in tanta rerum mole, mentis candore illustrius? atque, ut omnia summatim deprædicem, innatum Tibi est, omni Virtute reliquis antecellere, ut ità in uno Te collecta suspiciantur, quæ divisa Egregium undique Virum contestarentur. Sed tam alta Virtus quàm humilis? Emines sanè virtutis more, non turgescente prosperitate fortunæ, sed ideo major, quia melior. Silentium mihi indicit Tua modestia, quâ dum centas præclarissimi Tui Nominis gloriam minuere, eam auges, dum Humilitate interimere, perennas. Unum adhuc mihi restat votum, ut tantùm Te Deus diligat, quantum Tu Jura & Justitias, quæ tantùm diligis, quantum ab illis probaris, dum THESESES has meas ex utroque Jure in contestationem affectûs & subjectionis Tibi oblatas dignaris favorabili oculo suspicere, & clementi manu suscipere. Certò sed serò Te è terris in Cœlum suscipiat Deus.

Ità voceo & precor.

*Humillimus Subditus & Servus*  
Bernardus Joseph. Ant. Frommarz, ex Hambach.